vrgetur auctoritate in infinitum aucta; prorsus eleuauit omnium, quæ congeruntur, & deterrere poterant rationum momenta; eoque iustior magisque ineluctabilis defensio visa fuit, quo plus ponderis & probabilitatis ex Auctorum fama habebat accusatio. Atque hinc apud me, ista serio reputantem inualuit cogttatio, quod Scriptorem, cui respondeo, facile pro ingenita humanitate, crediderim summæ gloriæ sibi imputaturum, imitationem modestiæ Tuæ, PRINCEPS SERENISSIME, *quam inter colloquendum de rebus pietatis, & eruditionis, (neque enim de aliis tibi sermo est:) sæpius obseruare licuit; vt minus natalium, quam ingenij, doctrinæ, judicijque acerrimi luce, ac dotibus, suprà cæteros hominum prouectus, nedum patiaris, (quod singularissimæ laudis esset) sed velis ac pene cogas nos homunciones libere à Te dissentire; & interdum etiam boni consulas Tuis dictis obsistere: & quod Alexandrum referunt grauiter conquestum sibi exercitatione luctæ corpus ad belli labores aptanti, & duranti, palæstritam cum quo congrediebatur, virium remissione peperciſſe: idem, alio animo, modestiæ, & humilitatis Christianæ studio, obseruaui à Te factitatum; vt sepositio personæ respectu, vnam velis omnibus curam esse veritatis, vt sola vincat. Hanc æquitatem à Principe summo loco nato religiosissime seruatam, quis Religiosorum aut Theologorum ausit lædere? Vel conqueratur, aut vltam velit, quâ secum agetur, libertatem quam ipse expetas, nec patiaris à Tuis colloquiis arceri? Eosque maximè tuâ beneuolentiâ, ac familiaritate digneris, qui inter disputandum propius à*